



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Remedia contra peccatioccasiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

gressu, & similibus turpium amorum irritamentis.

Itaque si pœnitentem ijs, aut similibus impedimentis irretitum esse perspexerit, ipsa que occasio talis sit, quæ tum etiam re ipsa existat, veluti quod concubinam alit, vel quid huiusmodi, Confessarius eum absolueri non debet, nisi prius illam ipsam occasionem prorsus abscindat.

In alijs verò, ut in Venereis aspectibus conuersari periculosè cum fœminis, perdurare in tactibus impudicis, si eis nuncium remittere non polliceatur, vel si spondeat, alias tamen, cum de eodem fidem fecerit, vitam non emendauerit, absolutionem differat, vsque eodum emendationis quædam argumenta videbit.

At verò cum vsu venire possit, ut ex omnibus, quæ solers ac circumspectus Confessarius excogitauerit, nullum remedium tamen potuerit habere, cur pœnitens absque periculo & scandalo magno debeat occasionem præscindere, utatur Confessarius his vijs.

Remedia contra peccati occasiones.

Primò absolutionis beneficium eò vsque extrahat, donec emendationis indicia videat, maxime, si absolutio citra aliquod illius periculum, vel infamiam procrastinari possit, ea que doloris signa perspiciat, eam animi dispositionem, promptitudinemque suscipiendi omnia, quæ pro eius emendatione necessaria confessarius iudicabit, quo tempore remedia huiusmodi pœnitenti proponet, quæ magis opportuna, magisque necessaria apparebunt: verbi gratia, præscribit ei, ne solus vnquam cum sola versetur, ut orationes

Ff 7 augeat.

augeat, corporis macerationem subeat aliquã, quodque præcipuum est, vt frequenter confiteatur, aliaque similia, quæ si pœnitens recipiat in se, poterit absolui.

Contra verò si ab illa diligentia, quam vel ille, vel alius Confessarius iam diu adhibuit, non se emendauerit, non absoluator, donec impedimentum sustulerit, vel nisi quid aliud à nobis acceperit, quod conuenire videatur, ad quos in tali negotio recurret, vt factum nobiscum expendat, ita tamen, vt nulla fiat mentio peccantis.

Occasiones particulares quorundam peccatorum.

Alterius generis occasiones, quæ videlicet ex conditione peccantium sumuntur, ea facta sunt, quæ etiam si per se licent, tamen probabiliter timetur, ne is qui confiteretur, in eadem ipsa, quæ olim admisit, peccata relapsurus sit; si in eisdem operibus, in quibus antea versatus est, perseueret: tales ob mundi corruptelam plurimi solent in castris esse, mercaturam sequi, Magistratus obire, Aduocati, & Procuratoris officia exercere, aliaque id genus; quæ dum quis tractat, sit sæpè, vt vocibus blasphemis, furtis, iniustitia, calumnijs, odijs, fraudibus, periurijs, & alijs eiusdem farinae sceleribus, quibus Deus offenditur, tantam sibi eorum consuetudinem asciuerit, vt coniectari liceat, si in eisdem officijs maneat, cum se rursus eadem illæ oblaturæ sint occasiones, quod fortiorem animum ad resistendum peccatis non opponet, quàm hætenus fecerit: quodque inde sequitur, in idem lutum ex in-

regro